



NOVA POSONIENSIS.

ANNO CHRISTI MDCC XXII.

DIE IV MARTII.



*U*ndini, a. d. 30. Ante dies non ita multos in curia superiore, presentibus duodecim, ut dicuntur, summis regni iudicibus in deliberationem denuo venit num e resit Britan-

norō, exteris, quemadmodum adhuc factum est, permittere, ut novas in Anglia sibi naues exstruant. Cowpeus comes, qui omnium primus suam dixit sententiam, cum maximo gentis Britannicæ damno id coniunctum fore censuit, si cuilibet naues in his regionibus ædificare liceret. Non enim in locis tantummodo, aiebāt, quæ tamesis adluit, sed etiam Brisfoliæ ingentes materialium, ex quibus conficiuntur naues, frues reperiri, sed etiam naues bellicas Gallorum sumtu præparari, quas

illi quodocunque iis libuerit, in suos deducere portus, queant. In eam quoque sententiam Northus & Greius, Angliæ proceres, abierunt. Sed Townschendus, diversum ab iis statuit, & nullam se inuenire dixit legem, quæ consuetudini, vsu adhuc receptæ aduersaretur. Cowperus iudices ea de re interrogandos censuit, e quibus vnus sibi nullam legem, respondit esse cognitam, qua rex adductus, abrogare posset aut deberet hanc consuetudinem, quinpotius, cum Angliis tum aliis liberum sepe fuisse arbitratus est, ut naues sibi suo sumtu compararent. Atque ita simul auctor suasque fuit iudicibus, qui aderant, litteris rogarent regem, ut auctoritate sua legem eiusmodi ferri pateretur. Resisterunt autem eius sententiæ Sunderlandius comes, Argilius dux, aliique. Tandem

Car.

Carteretus, regem huic legi haud difficulter suffragaturum, adfirmavit, dummodo hæc illi adicerentur verba: *nisi permittente rege id factum fuerit.* Quo audito, omnes, communibus suffragiis, adeundum regem censuerunt litteris, ut pro sua, in proceres magnæ Britanniae indulgentia, precibus ipsorum adnueret.

Lutetia Parisiorum, a. d. 3. Febr. Rex noster, die 1. April. Salutiferis primum recreabitur dapibus, & post, die 15. April. Rhemis solemnibus ceremoniis inaugurabitur. Illi autem itineri non nisi quinque & decem inpendet dies, quibus præterlapsis, in hanc eum urbem fore reducem, existimamus. Si famæ libet credere, illo tempore, dux Lotharingicus, cum conjuge, Rhemos proficiscetur, ut ceremoniarum oculis videat solemnia, quibus, præsentente omni aurelianensi familia, rex consecrabitur. Rohanius purpuratus, quem podagra lectulo adhuc tenet adfixum, neque adire regem, neque rerum a se Romæ gestarum rationem ei exponere potuit. Interea præcipuos ex aula atque vrbe viros ad eum quotidie accedere videmus, qui de superato feliciter itinere illi congratulantur.

Haga Comitum, a. d. 15. Febr. Legatus Portugallorum primarius, a rege suo id in mandatis accepit, ut primo quoque tempore Cameracum proficiscatur.

Neapoli, a. d. 1. Febr. Borghesius princeps, in rebus publicis magna versatur diligentia, & quotidie cum iis confert consilia, qui partem rei publicæ ad ministrant. Post fœdam illam tempestatem quæ cum horrendis imbribus, niuibus que eiecta, per aliquot dies, magno impetu, in has detonuerat regiones, serenum quidem, ac sudum nobis

rediiit cœlum, humus tamen niuibus, quas frigoris vis gelu adstrinxit, adhuc riget, & viæ propemodum inexplicabiles factæ sunt peregrinantibus. Cum Messanæ vrbis præfectus, superiore hebdomade equitum hungarorum cohortem, cui centurio præerat, ex urbe mitteret, ad comprehendendos latrones, & sicarios, qui vias infestant publicas, & vim inferunt iter facientibus, accidit, ut in valle quadam cui rosæ nomen est, in latronum illi inciderent agmen, & res illico ad manus & pugnam veniret. In ea autem tam acriter ferro dimicatum fuit, ut anceps aliquot horis certamen, nonnullos utrinque absumeret, sed postquam dux latronum qui inter primos pugnaverat, glande plumbea iectus corruerat, atque equo quo vehebatur fuerat dejectus, tam in gens reliquorum animos incessit pavor & consternatio, ut etiam fugæ, quam meditabantur, abjicerent consilium, & se victorum arbitrio permetterent. Illi omnes numero quadraginta, e quibus duodeviginti vulneribus faucii fuere, in vincula coniecti, & in carcerem detrusi sunt. Ex equitibus, qui in certamen venerant, cum latronibus, septem cæsi & decem vulnerati fuerunt.

Mediolani, a. d. 11. Febr. Quoniam nuper subcenturio ex legione Laimbrouchiana Massam cum 30. militibus eo fine missus, ut stationem vices permutaret, transitu per ducatum Parmensem prohibitus fuit, protinus Læuius chiliarcha cum 500. peditibus & 400. equitibus Laude Pompeia * missus est, ut experiretur an eum libere transire sint permiffuri, quod nisi esset, in mandatis ei datum est, ut vi adhibita ius auctoritatemque Imperatoris ea in re adfereret. * *Ludi.*

Ex portu Liburno, a. d. 6. Febr. Nudius tertius serenissimus princeps Bauaricus, Theodorus, Florentiam accessit, quapropter vidua Dux Hetruriæ principis huius amita, magnos Senæ fieri curat apparatus, vt eum pro dignitate suscipere queat, nonnihil enim temporis in ea vrbe commoraturum aiunt. Fama est turcas & mari & terra bellum acerrime parare; sed cui id moliantur nondum cuiquam constat.

Bruxellis, a. d. 12. Febr. Excellentissimus comes Windischgrætzius, legatus Cæsareus summa transigendi potestate instructus, posteaquam hesternâ die sarcinas suas Cameracum præmisisset, hodie ipse itineri sese accinxit.

Cameraci, a. d. 11. Febr. Baro Pentenriederus, qui Windischgrætzius Comiti collega datus est in obeunda legatione Cæsarea, hodie ad urbem hanc accessit, speramus itaque, surgente statim mense Martio, conuentum, qui hic celebrari debet inchoatum iri.

Hafnia, a. d. 3. Febr. Rex noster cum vniuersa gente sua, prospera adhuc vtitur valetudine. Clavicula duodecim nauium variis instruitur rebus, quæ proximo vere in mare deducetur. Russorum Imperatorem Archangelopoli ducentas triremes construi iussisse ferunt, e quibus iam centum in mare deduci possunt.

Holmia, a. d. 20. Jan. Rex noster, opinione diutius in Dalecarlia substitit. Vbiuis autem locorum, per quæ ipsi iter faciendum erat, omni honore ac cultu, urbium & villarum incolæ eum sunt prosequenti. Quibus ille vicissim propensum testatus est animum atque vultu & sermone multum exhibuit beneuolentiæ, agrestium quoque nonnullorum nuptias, sua chonestans præsentia. Cras, summum perendie Co-

nigisforum redibit, quorsum regina ante dies aliquot obuam ei processit. Quotidie in hanc urbem venturum sperauimus Imperatoris Russorum legatum, qui Aboam transiisse iam dicitur. Morbilli & febres, inopinato prorsus impetu urbem nostram inuasert, quibus multi correpti e viuis excefferunt. Ne autem quicquam pestiferæ luis in has immigraret regiones, rex edicto palam nupcr edito prouidit; quo Collegium conseruandæ valetudini constitutum est, in quod, præter aliquos ex aula viros, duo medici sunt recepti, qui rationem in ire debent, qua, si Deus propitius fuerit, contagio a finibus nostris arceri queat.

Ex Holsatia, a. d. 14. Febr. Litteris ex suecia ad nos allatis intelleximus, publicum regni conuentum ad diem 28. mensis præsentis esse indictum, quo tempore Russorum quoque legatos euenturos autumant, vt Imperatoris sui consilium de rebus magni momenti proponant. Nec dubitant, fore, vt si quid Holsatiæ Ducis causa fuerit actum, facile a rege id obtineant, procerum quippe non pauci multum Duci huic fauent; quamuis qui regi sunt obnoxii, gentem Hassia-Casselensem huic præferendam statuunt, quæ res concertationibus acerrimis occasionem iam dedit, sed ex tamen maturè sunt compositæ. periculum quippe erat, ne tumultu compleretur regnum. Plurimorum hæc est sententia, quærendam esse suecis cum principibus imperii coniunctionem, secus enim haud esse pares cuicumque vicinorum regni sui vires.

Dresda, a. d. 18. Febr. Ordines Saxonicorumque ablegati die 8. Febr. more consueto in templum arci contiguum processerunt, sermonemque sa-

crum, quem Gleichius ex I. Tim. II. com. 1. & 2. ad eos habuit audiuerunt. Finito illo, in arcem ad regem, qui in conclavi quodam ingenti, cum exterorum principum legatis præcipuisque aulae proceribus fuerat atque in folio confederat, sunt profecti. Hic nomine regis verba fecit Seebachius sanctiori concilio adscriptus, qui gravi atque eleganti oratione exposuit causam quam obrem rex vniuersos saxoniae ordines iusserit conuocari. Postea Zechius, qui regi a consiliis aulae & iustitiae est, capita eorum, quæ rex fieri vult, recitauit. Et tum Benckendorffius, qui a sanctioribus regi consiliis, & summi militum ducis est vicarius, ad regis accessit folium, atque e manibus Seebachii tabulas, quibus suam rex voluntatem ordinibus saxoniae declarauerat, accepit, breuique ac nitida oratione, nomine omnium, regi pietatem obsequium, & summam in consultando deliberandoque diligentiam & promptitudinem spondit, & in diem posterum indixit consilium.

Moscua, a. d. 12. Jan. Hæsterna die, qua nouum auspiciati sumus annum, omnes ex aula proceres gratulatum venerunt ad Imperatorem, qui singulari omnes excepit beneuolentia & complures, inter quos Wildius celsissimorum Belgii fœderati ordinum legatus numerabatur, prandio adhibuit. Omnia iam quam diligentissime parantur, quibus die 28. Ianuarii memoriam pacis cum sueonibus factæ, solemniter celebrabimus. Sunt, qui Imperatorem ex eunte mense Februario, acidularum causa Olonicium iturum, indeque Petroburgum se recepturum, existimant.

Vienna, a. d. 28. Febr. Excellentissimus Cardinalis Csakius, qui nuper ex Hungaria ad urbem nostram accessit,

hæsterna die Imperatoris Augustissimi conueniendi potestatem obtinuit atque de rebus Hungariæ statum concernentibus sermone instituto acceptoque Imperatoris responso, ex aula discessit, rediturus primo tempore Posonium, ad Magnates regni ibidem congregatos. Fama est, ad futurum propediem Celsissimum atque Eminentissimum Cardinalem Saxonia Cizensem compluresque alios proceres quibus cum Imperator de rebus Hungaricis deliberaturus dicitur.

Varsavia, a. d. 18. Febr. Quamuis summus Regni Cancellarius in vrbe hac morari, vsque ad regis aduentum, constituerit, tamen, quia regem non statim post Bacchanaliorum finem iter in gressurum intellexit, ex vrbe tantisper nostra aliorum diuertit.

Posonii, a. d. 4. Martii. Excelsa Commissio, ea quam semper adhuc adhibuit diligentia, scripta, quæ sibi traduntur examinat, quorum, proximis diebus, vltima prælectum iri certum est.

Aspabami, a. d. 1. Oct. Anni superioris Nunc omnis fere Persis in armis est propterea quod gentes, quæ ad oram maris Caspii incolunt, facto nuperime agmine, improviso atque omnium opinione celerius irruperunt in has regiones, & expugnata Schamachia, quæ Mediæ caput est, omnes quos ibi inuenerant homines cum præfecto vrbis ferro atrocissime trucidaverunt. Auctor tam nefandæ seditionis fuit summus militiæ Persicæ præfectus, qui ab his oriundus gentibus, prius quam, ob perfidiam & improbitatem, iussu regis interficeretur, spe obtinendi imperii, ad rebellandum ciues suos concitauerat.